Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

affirmavimus quod in monasterium Fuldense delata sit. Nec tamen unum cum ossibus beati Bonifacii sepulchrum sicut ipse edixerat occupavit. Sentiebat iam presentem instare diem dormitionis sue. rem tamen silentio premendam censuit. tum ne tam vicino imminens mortis articulus necessariis suis amorem incuteret. tum ne iactando presentiam incideret in ambitionem popularis aure quam cunctarum virtutum perniciosam ac mortiferam labem semper duxerat. tum ut ea que de fine suo apud se disposuerat. recti ac maturius curarentur. Habebat secum ex more ut e[...]ditur sanctitatis virum nomine Albuinum episcopalis officii in negotia post episcopum obire solitum quem appellatione vulgata chorepiscopum vocant. eoque in divinis rebus et privatim et publice adiutore ac suffraganeo utebatur. Hunc ad se accersito causam inquit incidi que ad Herveldense monasterium profectionem maturare me exigat. Tu sit officii prius celebratis missarum sollempniis me protinus insecuturum ante cedere et que in mecumque venientibus sit receptui providere. Ille morarum inpatiens iussa ocius cepisset et que proficiscentibus usui forent. disponit missam celebraturus quod tali commento strueretur penitus ignorans. Cumque incolomi adhuc ut a medicis dici solet tempore totius corporis sacramentis dominicis participasset repente spiritum exalavit. Et ne quis fortuitum id fore suspicaretur mirum in modum eodem momento et vitam finivit et missam. Archiepiscopus tante rei miraculo nichil permotus est. sed industrium mortis sue precursorem pronissimo favore amplexatus navi iussit imponi. et Rhenum amne secundo devectum in loco qui dicitur Hostendi imponi. Ubi cum ad funus frequens officium de toto episcopatu populus occurrisset magnifice susceptus per terram in Herveldense monasterium est translatus. nec ulla funebrium honorum ambitione caruit. si quis honor tumuli si quod solamen humandi est tristis missa in omnis fide solida. quod magni momenti sint apud deum eius merita. At beatus Lullus eodem quo instituerat ordine in monasterium Herveldense contendit. ubi protinus morbo actatus. cum ordinationis sue annum ageret secundum XXX. XVII. Kal. Nov. honestissima morte perfunctus nature concessit. suumque precursorem insecutus. ut optamus. ut speramus. ut certissime confidimus celestis curie senatoribus est annumeratus. sessurus quandoque cum choro apostolorum in subselliis iudicialibus et iudicaturus XII tribus Israel. Nam quantus apud deum emineat meritis et si vite clarissime et insignium actuum memoria obsoleuisset; indicio tamen essent tot ac tanta miracula quibus licet carne mortuus. vivit tamen apud superstites carne quondam vivente multo ut ita dicam vivacius. Vivens enim paucorum mortuus cunctorum pene aures ac mentes occupavit.

Ex his animo pauca revolvens ut procul fa[...] cessat invidia. a qua ne nunc quidem vindicat eum sinus Abrahe et nomen celeberrimum iam in ecclesia. Nos etiam vota facimus. iam diu nos propter deum honores deferimus iam sollempnes ferias instituimus. et adhuc contra eum servit invidia. pestis infestissima. et petulanti lingua sicut solebat viventem et cum corruptis moribus communis conflictantem ita et nunc insectatur cum Christo regnantem. Sed nos tempus iamdudum terminus propositum potius aggrediamur his breviter lectore commonito quod raro virtus cum viciis convenit. Post traditum sepulture corpus beati Lulli sexagesimus iam fluxerat annus et fratribus qui tum temporis in monasterio Herveldensi divinas agebant excubias incidit in animum sacra ossa levarent et loco celebriori conponerent. Cumque saxum quo sarcofagus tegebatur adhibita ingens religiosiorum hominum vis amovisset; erat videre grande atque ad hominum memoriam inusitatum miraculum. Corpus tanti temporis possessione obrutum nullam senserat corruptionis iniuriam. Tam vultus honestatem cum membrorum omnium dignitatem. cum vestimentorum quoque nitorem preferebat. ut ipsa eum die exspirasse. aut sopore potius quam morte sepultum crederes. Sinistri tamen pedis caliculam vetustas absumpserat. Id fortuitum fuit. an aliquid secretioris intelligentie sensibus intuentium innuit. divini sit examinis. Ego ita eos existimo. non sobrie inmediocriter sapere qui de rebus tam archanis adeoque ab humana scientia remotis temere sententiam dictitaverunt.

Incipit vita sancti Galli confessoris. Prologus.

NISI omne sacrarum auctoritas scripturarum et precipue illa iudicia prophetica sententia quia sacrificio obedientia prefertur ad necessitatem obediendi constringeret. preceptis vestris obsequentissimi patris apologie huius mei genus opponerem. Si propheta qui ante quam formaretur in utero a domino electus est. et prius quam exiret de ventre sanctificatus est. dum eum dominus spiritu sancto illustraturus ubi officio manciparet de etatis infirmitate et ignorantia conquestus est. quid ego peccator acturus sum qui in iniquitate conceptus et in delicto profusus propter sordes vite incircumcisus sum corde et auribus; qua vidi nec sciendi digne percipio. nec audita devote conservo. Quomodo iusticias domini enarrabo. et assumam testamentum eius per os meum. cuius etatem nec tempus adhuc implevit. nec scientia commendavit. cuius dicta nec doctrina corroborat. nec vita confirmat. presertim cum ea scribere iubeatis et ordinare quorum dignitatem vix animo torpente contuitio. Tres tamen ob causas audendi talia viam invenio scilicet quod credo me a domino sublevandum. obedivi iussa patrum et promissa. quod virium consideratione exhorrui obediendi cupiditate suscepi. Deinde quod me confido beati Galli intercessione vestrisque precibus adiuvari pro quorum veneratione et amore grande onus humeris aptavi debilibus. Postremo quod ab alienis insisto vestigiis veritatisque tenende lineam novis terminum cogor passibus demetiri. Vitam igitur sancti confessoris Christi Galli patroni nostri cuius corporis thesaurum fidelibus servatis excubiis sensu nobilem scripto degenerem vultis a me lumine recte locutionis ornari et seriem confusam capitulorum distinguere limitibus. Ego vero cum me non possim ab his excusare negocio eligo potius pignavia lacerari quam pro inobedientia condempnari. Porro dum predictum ipsum opus perlegerem. inveni ab auctore eidem conscriptionis terram quam nos Alamanni Suevi incolimus. Altimaniam sepius nominari. Sed ipsi nomini